

sanguinis, in quo reconditum est totius vita & sanitatis funda-
mentum, causas ; sed elanguet ferè cogitanti de his animus
cum calamo, tricis utpote haud levibus involutis ; Spero ta-
men, excusatim me daturam rei sublimitatem, si liberius for-
san aut minus apposite exposuero, quicquid habeo conjectura-
rum. Quid ? quod materiam disceptandi suggestisse sat est.

§. V.

Fermentationem voco particularum minimarum in fluidis
corporibus ex favore influi & insiti spiritus oriundum. intesti-
num & collisivum motum, in finem transmutationum, pro impe-
tu influi & idea insiti spiritus differentium. Hæcque per universi
hujus systema latissimè se diffundit, totius naturæ explens nego-
tium. Est enim universalis elasticí spiritus in Θe Δeo, ab uni-
versali enato fermentatione, concreti perpetuum in his inferio-
ribus cum mixtorum, insitis spiritibus commercium ac mutuus
commeatus, quo excitati hi seminalium potentiarum reconditos
recludunt thesauros & motum Θnis ac reliquis corporeis atomis,
quibus congeniti sunt, largiuntur in corporum vicissitudines.
Ab isto hermetico Θe vernalis vigor est, quo dives tum tempo-
ris existit Δ præ aliis anni ætatibus : id quod præter vegetabi-
lium germinationes, regenerata ex Δe vernali Θia in cadaveri-
bus v. g. Φi, Φli, Θnis &c. nondum omni magnete exhaustis,
evidentissimè demonstrant, alia ut taceam. Hoc igitur naturæ
Θ, uti ceteris inservit fermentationibus, sine cuius enim perpe-
tuâ accessione atque affluxu mox motus omnis fermentativus in
rebus cunctis exspirat ; ita sangvinis etiam fermentationis ac vo-
latilisationis primarius autor est. Quo enim admisso per spumo-
sum pulmonum viscus in oleosi sangvinis (cui spiritus luminosus
vitalis insitus est) penetralia, expansionis suæ mensurā hic denuò
avidissimè apprehendit & elasticus s. influus fit, eademq; operâ
reliquas in motum ciet sangvinis massam componentes parti-
culas, ex quo intestino & contrario particularum contritu nō tota
tantum sangvinis massa rarefiat & Δs scintillet seu in Gas flam-
meum evahatur sangvis, cum spiritibus nervorum & partium,
insitis lumē vitale constituens, sed & heterogeneorum quorumvis
sangvini, lymphæ, chyloq; commistorum præcipitationes & ex-
clusiones fiant, necesse est.

§. VI.